

Varmien.

Eñe, & Rñe Dñe.

Quamquam Canonici Ecclesie Varmiensis nuperis temporibus in hoc

Supremo Tribunali conquæsti fuerint à Gloriosis Poloniae Regibus aliquid fuisse detractum prærogatiuæ, qua Capitulum potiri asserant in eligendo sibi Episcopo; proptereaque anno 1698. impetrauerint decerni, vt in literis Apostolicis, quibus Ecclesia illa conferatur, mentio fieri debeat, tam Regiæ supplicationis, quàm electionis Capitularis; eandemque sanctionem die 17. Decembris 1711. iterari obtinuerint. Nuperrimè verò illud ipsum Rescriptum petierint per speciem cuiusdam temporariæ prouisionis, occasione translationis Episcopi Varmiensi ad Primatiam Ecclesiam Gnesnensem: Tamen longè maiora unt, ad quæ eosdem Canonicos adspirare depræhenditur, atque ipsi etiam non obscure iactant, si quæ moliuntur animis, ea præstendi re ipsa opportunitatem nanciscantur. Quamobrem Serenissimus Rex non alio consilio, quam ad extinguenda huiuscemodi dissidiorum semina; tum vt Canonicis ex Oraculo Eminentissimorum PP. innotescat Serenissimos Prædecessores, seque continuam dedisse operam, vt Dignitates, ac Sacerdotia ad optimos quosque deferantur sine inferiorum iniuria, quod ad salutarem Reipublice Curam pertinere monet *Demosthenes in Orat. 2. contra Aristag. & Bief. lib. 4. de Republica*; impleuisseque partes illas egregij Principatus, quas Diuus Ambrosius Theodosium Imperatorem edcuit, *benè summorum auctoritatem seruari quotiès inferiorum Ius nullo minuitur*; Denique, vt filiãlis obsequij sui erga S. Sedem de quo summoperè gloriatur inter primarias animi sui dotes præcipuum testimonium, dum isthæc fert occasio, præberet postulandum nobis permisit à suprema Sacrorum Cura huiusce Senatustemperari expresso declaratiuo Decreto auctoritatem illam, quam amplificare præter modum sibi arrogant Canonici Varmienses, iuberique eisdem, vt perpetuò sileant, neuè Eminentissimis PP. molestiam vltiorem exhibeant in postulandis ijs, quæ inutilia eie, ac proficisci tantum à cupiditate suæ auctoritatis nimium adaugndæ Eminentissimi PP. intelligent ex rerum narrandarum serie.

Varmia quæ à Geographis in Regione Prussia sita legitur Episcopalem Sedem habet, & Brunsbergæ præclaræ Vrbi inter Dantiscum, & Regium Montem adiacet à pluribus Bell calamitatibus afflictã antiquitus fuit, cum enim in illis Regionibus summam Imperij potestatem Sacer Ord. Theutonicus exerceret; eidemque propensior esset Episcopus Varmiensis, inclinatus rebus Ordinis Theutonicis,

A

quam-



117 R 425

quamuis Casimiro Regi Poloniae primum restitisset Nicolaus Episcopus, deinde tamen interpositis apud ipsum Officijs, consultius in illius amicitiam se recipi curauit, vt proditur ab historicis apud *Dugloss. Histor. Polon. ad annum 1471. Cromerus de rebus gest. Polonorum lib. 39. Gaspar Schiegius Chronic. Prussiae lib. 8. Ib. Tretterus de Vitis Episcoporum Varm. cap. 15. S. Legatio Hungaric.*

Deditionis, & amicitiae pacta, vt nimirum Varmiensis Ditio Polonici Regni fieret, vtque cumeo ciuile vnum idemque corpus censere-
tur, vtque Episcopus inter Primarios Regni Senatores adscribere-
tur, iure merito causam praebuerunt alteri consequenti, necessari-
que sanctioni per haec verba firmatae = Propterea submittimus, &
praesentibus obligamus noscum Capitulo Ecclesiae nostrae Varmiensis,
quod in futuris Electionibus, seu postulationibus pro tempore Episco-
porum d. Ecclesiae Varmiae. eiusdem Capitulares Regiae Maiestati
& Successoribus Personam gratam eligere tenebuntur = Nam si in
vnum Varmiae Ditio cum Regno Polonico coalescebat, & Episco-
pus Varmiensis pro tempore esse debebat adscititius Regni Consi-
liarius, necessè admodum erat, vt Serenissimo Regi grata, & acce-
pta foret Persona ipsius.

Quamuis haec ita, vt supra tripsumus, conuenere tamen postea, cum nonnihil aliquando quaestionis irrepsisset, dum noui eligendi erant Varmienses Episcopi, quoniam scilicet pacto intelligendus videretur Articulus ille, *Personam Regi gratam eligi oportere*, proinde ad tollendas quascumque contouersias, quae potuissent publicam quietem perturbare Rex Sigismundus I. adhibitis Consiliarijs Spiritualibus, & Secularibus, naturaque deliberatione cum Fabiano Episcopo Varmiensi ad eum deuenit conuentionem in qua narratis potioribus rebus, quae in priori conuentione continebantur ad intersepiendum aditum huiusmodi dissidijs pactum fuit inter caetera, vt deinceps quoties Ecclesiam Varmiensem vacare contigerit, toties id Canonici significare tenerentur Regibus, tunc Rempublicam moderantibus eo consilio, quod verba ipsius conuentionis sic indicant = *per specialem Nocium nostrum, & litteras clausas significabimus ipsi Capitulo, quos indicauerimus ad illius culmen dignitatis, & locum in consilio nostro, magis idoneos, & magis gratos, ipsi vero Praelati, & Canonici praediti vnum ex illis quatuor, quem voluerint, aut iudicauerint meliorem, & utiliore deligere in Episcopum tenebuntur, & erunt adstricti =* Insuper conuentum fuit, vt post factam à Capitulo electionem, de ea necessariò Serenissimi Reges certiores reddantur, ibi = *Cum autem dicti Praelati, & Canonici, sic vt praefertur vnum ex eisdem quatuor nominatis elegerint intimare dedebunt nobis, & successoribus nostris nouum Electum, & cum eo supplicare, vt illum nostris litteris Sedi Apostolicae, & Sanctissimo Domino commendemus, vt electionem de eo factam cum gratia confirmare*

dignetur = additumque prætereà fuit, vt Electus, & ad Regiam commendationem confirmatus præstare teneretur apud Regem iuramentum, ibi = *qua quidem confirmatione, & provisione sequuta, idem Electus iuxta tenorem, & inscriptionem Ec. præstabit iuramentum nobis, & successoribus nostris, prout in eadem inscriptione, latius continetur, vt fusiùs legere est in Summ. num. 1.*

Sapientissimam hanc conuentionem, tam maturo Regis, reique publicæ Iudicio stabilitam, consultò quoque Summus Pontifex Leo X, confirmauit *Summarionum. 2.* & sanè maxima urgente necessitate, atque utilitate Ecclesiæ, cuius causa non modò prudentissimus ille Pontifex eam denegare confirmationem non debuisset, sed vltro ipse optare, atque petere à Religiosissimo Rege, vt siquidem non inita fuisset huiuscemodi conuentio, eam ille Religionis gratia libenter iniret; Etenim pullulabat tumorinum ijs in Regionibus Lutherana hæresis, suisque perniciosissimis erroribus ipsum etiam Fabianum Varmia Episcopum coinquinat, *Treterer. in Vita Fabiani Episcopi, Paulus Piafseccius Chroni. Polon. ad annum 1521. pag. 49.* quæ hæresis postea circumadiacotes Varmia Populos miserè labefecit, atque in præsens labefatat, lateque disseminatur Apostolicæ confirmationi accessit plausuram Varmiensis Ecclesiæ, tum totius Polonica Reipublicæ vnanimis consensus, & quoniam Varmia in vnum, idemque, vt supra diimus ciuile Corpus Polonici Regni coaluerat, idcirco huiusmodi conuentio, quam Pontificia quoque auctoritas sanxerat inter publicas Regni Polonia Constitutiones relata fuit, vt legere est apud *Marcum Cromer. lib. 22. & 39. sub anno 1479. Treterer. li. de Epis. Varm. cap. 15. Hart. Knock. in Chronic. Prussiae par. 3. ca. 15. de Epis. Varm.*

Deinceps verò ex huius conuentionis norm S. Sedes Episcopatum Varmiensem contulit ad supplicationem Serenissimi Regis tantum, vt diuturna obseruantia, quam sries duodecim collationum comprobata vna excepta, apertissimè ostendit, *Summarionum. 3.*

Hinc hodiernam Canonorum postulationem, vt scilicet in literis Apostolicis addi debeat, haberique expressa mentio Capitularis electionis, nullo fundamento niti satis constat, tum ab exposita superiùs facti specie, tum ex perspicua conuentionis litera, tum denique ex diuturna adeò obseruantia, propereaque ab LE. PP. omninò esse reijciendam; Sed vt etiam ad id aciliùs inducant animum rem prætereà magis inaperto ponere, petis è iurisprudentiæ rationibus oportunum existimauimus.

Etenim præmissis Iuris inconcusso principio electionem nempè Episcoporum pertinere ad S. Sedem, quæ soùm pro varijs aliquando temporum vicissitudinibus, benignè inculsit, vt Clerus eligeret Episcopum; seù illum Canonis requisitis non integrè instructum

postularet, non nunquam siue ad Testimonium Populi designaretur Persona ad Episcopalem gradum promouenda, semper tamen verum est Sedem Apostolicam huiusmodi facultatem tribuisse Clero firma sibi perpetuò suprema auctoritate instituendi eosdem Episcopos, etiam electis repulsis, quando aliunde quàm ex electione Testimonium de meritis prouisi habuit *Can. 1. 22. dist. cap. 3. de Præben. in 6. Fagnan. in cap. nullus de electione num. 2. & 13. Card. Belarm. tom. 1. contr. 5. lib. 1., & cap. 8. num. 2. Barbos. de Offic. & potest. Epis. par. 1. tit. 1. cap. 3. num. 1.*

Cum autem experientia comertum fuerit huiusmodi electiones, vt plurimum euenire consueuisse, aut per ambitum, aut per Simoniacas largitiones, aut per factiones, ex quibus simultates, & odia ciuilia insurgebant, & Reipublicæ quies lacessebatur, hæc omnia innotuerint S. Sedi, vt potè quia postea sæpè sæpius rogabatur imperitari electoribus absolutioes à periurijs, excommunicationibus, alijsque Sacrilegijs, quibus electiones infectæ erant, vt notat *Thomassin. de Benefic. part. 2. ib. 2. cap. 40. num. 1. vol. 2.* Satiùs censuit eadem S. Sedes committere Regum conscientia sollicitudinem inquirendi merita personarum eligendorum, vt exinde ad vacantes Episcopatus Summus Pontifex nominatos à Serenissimis Regibus promouere posset, atque huiusmodi indulta Regibus Christianissimo, Catholico, & Polono concessa laudant *Barbos. in tract. de Offic. & pot. Episcopi par. 1. tit. 1. cap. 3. num. 27. Matta de causis Consistorial. sect. 17. num. 3.*

Quod si huiusmodi Indulta Sedes ob allatas rationes, & ad tollenda priuata Canonorum discordia, & scandala, gratiosè concessit Regibus, vt indè quies tum spiritualis, tum temporalis Reipublicæ conseruaretur, quantò egò magis dicendum est, summa id ratione peregrisse san. mem. Leoem X. dum auctoritate Apostolica, vt supra notauimus omninò confirmandam duxit conuentionem initam à Sigismundo Rege cum Fabiano Episcopo Varmienfi, quoniam errores, quibus Ecclesiastica Res publica labefactari cepit in illis regionibus, eousque ecreuere, vt etiam ipsum Episcopum Varmiensem coinquinauerit, & Varmia, quantumuis in Regione Prussiae sit, circumgliscetibus Luteranorum erroribus (vt superius ibidem præmonuimus) adhuc tamen, Deo fauente Orthodoxæ Fidei illibata cultrix est quod vnicè referendum venit protectioni Serenissimi Regis Polon, cuius Regno Ciuitas illa fausto, felicique euentu per conuentionem cuius supra meminimus copulata est, proindeque in hisce circumstantijs militat ratio expensa in *Can. vot. dist. 63. §. Principibus, ubi = Principibus verò, atque Imperatoribus electionem Summorum Pontificum, atque aliorum Episcoporum referendas usus, & constituto tradidit, pro Schismaticorum, atque Hæreticorum dissensionibus quibus nonnunquam Ecclesia Dei concussa*
peri-

periclitabatur = vt benè obseruat *Barbos. de Offic. & pot. Episcop.*
par. 1. tit. 1. num. 29.

Ad infirmenda, quæ à nobis hætenus, totque validissimis rationibus stabilita sunt, allegant Canonici Varmienfes conuentionis litteram, cum enim in ea exponatur quæstiones insurrexiffe super interpretatione alterius præcedentis pacti de eligenda Persona Regi grata, & propterea ad illud processum fuisse, vt ex quatuor à Rege proponendis vnus eligeretur. Ex hoc propterea dicti Canonici Varmienfes desumunt libertatem eligendi, quem maluerint, quam libertatem lædi asserunt, quoties Regius Animus vni ex quatuor Candidatis propensio-rem se ostendat, hacque de causa, quidquam detractum assertæ libertati literis Regijs nuperrimæ Electionis de qua in *Summario num. 4.* conqueruntur, sed perperam.

Etenim formula nominationis Regiæ eadem ipsissima est, quæ hucusque à claris Prædecessoribus adhibita fuit in designandis quatuor Candidatis, vt series omnium Regiarum nominationum relata in *Summario num. 5.* demonstrat, ex qua nedùm desumitur ipsum Regem Sigismundum, qui concordatum iniij nominasse quatuor eligendos, sed specialiter ex illis connotasse personam Regiæ Coronæ gratam, & acceptam. Verùm etiam omnes Serenissimos Reges ita peregrisse constat, & quidem summa cum ratione; Si enim persona eligenda grata Regi esse debet, reliqui tres ad meram, vt ita dicam formalitatem designandi sunt, vnus tamèn Regi gratior connotandus est ab ipso, vt indè Capitulum certis fiat de Viro quem ad mentem Regis eligere, & sine contradictor acceptare debet prout omnes ita à Regibus designatos, & laudans Episcopatum assequutos fuisse controuerti nequit, & ex hac fundamentali ratione seclusis etiam successiuis nominationibus quotiè Rex Sigismundus quatuor nominauit, & vnum præoptare declauit, & Capitulum Regiæ menti obsequendo illum elegit melio profectò intelligentia concordati dari non potest, quàm actus epletus à Rege qui illud fanciuit, & exequutio data à Canonicis cæuis sanctioni *Text. in S. Ex his omnibus 11. quæst. 1. cap. inter alia de sent. excommun., & constit. in 6. l. 1. l. leges Sacratissimæ, & l. anal. C. de leg.*

Et tantùm abest vt Capitulum Varmienfe aliquam sibi libertatem ex litera Conuentionis queat asserere, vt potius eadem litera aduersus ipsum mirificè retorqueatur, ibi enim habetur Serenissimum Regem etiam post factam electionem debet Electum Summo Pontifici commendare, & nominare, quinimmo ipsosmet Canonicos cum ipso electo debent Regiæ Maiestati supplicare, ibi = Intimare debent nobis, & successoribus nostris nouum electum, & cum eo supplicare, vt illum nostris litteris Sedi Apostolicæ, & Sanctissimo Domino commendemus = Summario dicto num. 1. Ex quo pacto sanè videant Eminentissimi PP. quantum custodita sit Regia Potestas in hac re,

vt etiam post factam electionem Capitulum, & nouus Electus intimare, & insimul supplicare cum verbo *Debebunt* = quod præcisam, ac ineuitabilem necessitatem secum fert, vt est *Gloss. in Clementina attendentes in verbo debeant de Stat. Monachor. Barthol. in l. Creditores Cod. de pignor. Abbas in cap. 1. de despons. impub., & in cap. intelleximus de Indulg. Gloss. cap. proposui de appellat.*

Hæc autem necessitas, quæ Canonicos, vt supra, obstringit, nequam attingit Regem, vt certam illam Personam à Capitulo electam commendare Summo Pontifici sic teneatur, vt renuere non possit aliam præoptans, cum ex littera Conuentionis pendere ex arbitrio Regis Commendationem Summo Pontifici faciendam, apertissimum sit, nimirum ex discretiui illo modo loquendi, quoad ipsum Capitulum necessitatem præferente, quo verò ad ipsum Regem, non necessitatem, sed arbitrariam nominationem, & commendationem importante, qui quidem discretiuius modus loquendi, & formula adhibita diuersimode in vno casu, quam in altero, optimè paciscentium tenotat mentem, animique sententiam argumento *Text. in l. unica S. Sin autem Cod. de ead. toll. Card. de Luc. de donat. disc. 8. num. 23. Rot. decis. 458. num. 11. part. 9. decis. 72. num. 12. part. 10. decis. 303. num. 8. par. 16. decis. 251. num. 21. decis. 304. num. 12. par. 19. recent.*

Non igitur ex quo Capitulum elegerit, sed ex quo Serenissimus Rex Summo Pontifici commendauerit res suum effectum assequitur, ac propterea nunquam Capitulum vna cum Rege commendat, sed solus ipse Serenissimus Rex independenter ab eodem Capitulo id peragit, vnde nescimus qua ratione prætendant Canonici Varmienfes aliquam sibi asserere libertatem ex littera Conuentionis, ac fieri proinde debere in liteis Apostolicis mentionem electionis Capitularis, cum è contrain dicta Conuentione pactum fuerit solum Regem debere electum commendare, aut nominare S. Sedi; Nihil verò æquius est, quam pacta, & conuentiones firmas, rataeque haberi ad *Text. in l. 1. in vinc. ff. de pact., & Rot. coram Pamphil. decis. 424. num. 12.* quod si hoc vniuersè de pactationibus, & conuentionibus verum est, quanto id erit veriùs in nostro casu, in quo naturali obligationi, quam parit conuentio, accessit quoque comprobatio, & auctoritas Pontificis maximi, quæ vbi interuenit, tunc conuentio Indulti Pontificis naturam induit *Text. in cap. dilecto 25. de præbend. Rot. coram Cerro decis. 73. num. 12. & seq. in Pisana distributionis 14. Decembris 1699. S. Et quidem coram R. P. D. Lancetta, & in Meleutiana Decretorum 21. Martij 1707. S. Circa coram R. P. D. Ansaldo*

Id quidem antiquitus agnouerunt Canonici Varmienfes, qui propterea in vacatione Varmienfis Episcopatus, quæ ipsam conuentionem fuit primò, atque immediatè subsequuta, non se opposuere

litteris Apostolicis datis die 11. Ianuarij 1538. ad supplicationem Regis Poloniæ tantum favore Iacobi Dalisch *Summario num. 5.* qui status rei immediatè post conventionem subsequutus omnem alterum posteriorem statum euertit, si fortasse opponi posset, quemadmodum docent *Turricel. de union. Benef. cap. 3. num. 177. in fin. Rot. dec. 330. num. 2. vers. cum ad dignoscendum coram Cavalcr., & dec. 631. n. 17. par. 19. to. 2. recent.*

Et quantumuis vnica tantum vice irrepsit Apostolica prouisio sub anno 1551. ad postulationem Capituli Varmiensis, nihilominus eadem prouisio, quæ fortassè tempore interregni euenire potuit, nec deductis apud S. Sedem Iuribus Regijs obesse non potest claræ, & perspicuæ Sanctioni per conventionem firmatæ, ac per actum immediatè subsequutum, & obseruantiam executioni demandatæ, quæ obseruantia præualere debet ex superius laudatis authoritatibus; prætereà dicta vnica collatio, quæ exaduerso afferri potest collabescit, ac prorsus ruit ob successiuas Apostolicas prouisiones, ferè per centum annos continuatas, *vt ex Summario dicto num. 6.* Egregiè hinc deducimus, sicuti obseruantia est optima Beneplaciti Apostolici interpret, *vt firmant Text. in leg. Si de interpretat ff. de legibus Lotter. de re benefic. lib. 2. quest. 47. num. 30. Rot. coram Bich. decis. 244. num. 37., & in recent. decis. 65. num. 12. part. 15. decis. 385. num. 36., & decis. 631. num. 15. part. 10.* ità eandem obseruantiam per centum annos continuatam optimum præbere fundamentum præscriptioni, itaut dato etiam litteram conventionis Canonicis fauere, cum tamen illis præclarè obster, titulum, tamen dicta obseruantia adeò longæua tribueret validissimum Regiæ Coronæ, deducendo quodcunque præsumptum Beneplacitum Apostolicum, & *vt Doctores aiunt titulum meliorem de Mundo Casiodor. decis. 2. de probat. Peregr. cons. 33. num. 21. vol. 1. Rot. decis. 312. num. 4. part. 1. decis. 267. num. 11. & decis. 656. num. 8. part. 19. tom. 2. rec.*

Potissima occurrente ratione, vt quemadmodum Serenissimi Reges Poloniæ potiuntur ex gratia S. Sedis Apostolicæ in tota Ditione Polonica facultate præsentandi, leuè nominandi ad Ecclesias Episcopales, vt superius inuimus, ità nequè incongruum, nequè Ecclesiasticæ libertati aduersum esse videtur Varmiensem Diocesem, tamquam Regno Poloniæ addictam, in eiusque corpus coalitam iisdem ferè legibus gubernari quibus Polonica Respublica regitur, etiam ad effectum nominandi ad Beneficia, vt ex *Capitulo, quia circa de priuilegijs, & ex leg. fin. Coa. de Allui. concludunt Rebus. &c. de benef. tit. de nominat. quest. 6. num. 5. Matta de causis Concistorial. coroll. 2. sect. 18. à num. 21. ad 2.* præsertim quia in nostro casu tam grandis in Ecclesiam reudat utilitas, vt non oportune magis congruere ratio vnquam possit, qua solet Regibus præ-

præsentandi, nominandique facultas attribui, scilicet quo Ecclesia, ac Religio præstantem tutelam assequatur, & reuera assequuta est Vermia, cum ab hæreticis gentibus, quibus vndique circumdabatur infecta non fuerit.

Alia etiam utilitas quam maxima obuenit Ecclesiæ Varmiensi; Siquidem in prædicta conventionione ideò Episcopo Varmiensi data fuit prærogatiua sedendi in Comitibus generalibus, vti Moderator, & vnus ex Consiliarijs Polonicæ Reipublicæ, non quia dictus Episcopus eligi deberet à Capitulo, sed quia talis esset eligendus, qui à Serenissimo Rege præoptaretur eique esset magis beneuolus, vt inde Arcanorum Reipublicæ fieret particeps, vnde æquum, iustumque est, si tantum decus accessit Episcopali illius Urbis dignitati, quale est fungi munere Consiliarij, ac Moderatoris Reipublicæ Polonicæ, ita vbiicumque Pastorum Varmiensium electio fiat semper ad solam Regis commendationem, Summus Pontifex moueri debeat nulla mentione habita electionis Capitularis, quia si verum est, quod in electionibus Episcoporum ob Reipublicæ quietem eligendi ad Episcopatum debeant esse Regno, seu Principi accepti, reiectis suspectis, propter periculum seditionis, & ne Regni pandantur consilia *Berell. de præstantia Regis Cathol. cap. 50. ad num. 4. Cabed. de patronat. Regiæ Coronæ cap. 37. num. 5., & totidem verbis Barbos. de offic., & potest. Episcopi part. 1. tit. 1. cap. 3. nu. 29. in fin.* quanto magis seruari hoc debet in prouisione Varmiensis Episcopatus, dum ipse Episcopus non modo Pastoris Officio fungitur, quam munere Regij Consiliarij, & Senatoris decoratur, & propterea non solum certio redditur de secretis Regni, sed etiam particeps necessario fit tanti honoris tantæque prærogatiuæ, qua in illo Regno ornatur dignitas Consiliarij.

Graue nec videri debet Capitulo Varmiensi sibi ex prædictis restringi coarctarique eligendi facultatem, quoniam si vera est propositio cuicumque Capitulo facultatem eligendi Episcopum, non Iure proprio competere, sed ex Indulto, & permissione Summi Pontificis, ergò quoties ex indulto Pontificio, quo confirmata fuit nostra conuentio Ius istud honorificum electionis relinquatur penes Capitulum, & tamen commendatio apud S. Sedem debet fieri à Serenissimo Rege Polonia, apertum exinde fit ex pacto in concordatis firmato solam commendationem, aut nominationem Regis Poloniæ præoculis Summi Pontificis versari debere, vt inde gratiam confirmationis elargatur, quæ quidem gratia cum substantiet nominationem, aut commendationem, hæc sola spectanda est, quia ita Summus Pontifex confirmando eidem commendationi plenitudinem suæ potestati impertitur.

Et si Ius electionis apud Capitulum redactum fuit ad meram vmbra, suè vestigium prærogatiuæ antiquioris, vt inquit Reuerendissimus Za-

Zaluschi Episcopus Varmien. in Epistolis historico familiaribus impressis Brunsbergæ anno 1711. *epist.* 102: §. *Euici*, quæ datur in particula *Summario num.* 7., qua in re eodem Episcopo Deponenti de statu suæ Ecclesiæ omnis fides adhibenda est, cum præsumatur plenè instructus, ut probant *Rot. decis.* 809. *num.* 18. *part.* 18. *rec. decis.* 4. *num.* 2P. *Post. Prosp. de Teuritor.*, & in *Nullius, seu Montis Casinen. manutentionis* 10. *Iunij* 1712. §. *Huiusmodi coram Reuerendissimo D. Lancetta Decano*, eoque magis, sic deponenti credendum quia historicè rem narrat, & ulterius iudicium profert innixus litteræ nostræ conventionis, quàm in calce dictæ Epistolæ transcribit, ut legere est sub fol. 554. immediatè post dictam Epistolam; si inquam Ius electionis apud Capitulum est mera ymbra, & vestigium, id vnum eidem Capitulo, & Canonicis superabundare debet, quia ex isto signo conseruatur apud ipsos prærogatiua antiquior licet exercitium plenæ libertatis Summo Pontifice annuente ad Regem Poloniæ translatum sit, maxima cum vtilitate Ecclesiæ, quæ interim tranquillitatis ocio, & libertate in Religione fruitur, itaùt ex hoc ipso signo, aut imagine electionis præseruata sint Iura fauore Capituli, licet exercitium Canonicis sublatum sit.

Quod si apud Canonicos resideret eligendi libertas, & horum etiam electio à Summis Pontificibus considerata foret origo hinc quæstionum, plurimaque dissidia orientur, dum postquam anno 1698. ab hac Sac. Congregatione Rescriptum obtinuerunt, ut in literis Apostolicis mentio facienda esset de electione Capitulari, etiam anno 1711. iterùm quæstionem promouerunt, & demùm in præsentis pariter instant maiora semper molientes, ut clarè ex eorum scripto colligitur, ac propterea sub zelo exaggeratæ libertatis duo ipsi Canonici assequuntur; Alterum quia fouent, & alliciunt erga se animos adspirantium ad dignitatem Episcopalem, qui quo maius erit in eligendo Ius penès Capitulum, & ardentius curabunt inire gratiam apud Canonicos; Alterum quia, aque interim donec in quæstione res est temporis intercapedinem sibi proficuum experiuntur, dum Episcopalis Mensæ redditus in tertia parte Ius Beneficijs accrescunt, quod tolerandum non est, cum tam ex peculiari conventionem stipulata cum Sigismundo Rege, quam ex Iure Canonico Episcopalis Sedes celerrimè prouidenda sit, ut in cap. Ne pro defectu de electione, ubi aureis verbis duplex ratio consideratur, ibi -- Ne pro defectu Pastoris Gregem Domini Lupus rapax inuadat: aut in facultatibus suis Ecclesia viduata graue dispendium patiatur.

Allegabilia neque sunt gemina decreta huius Excelsi Senatus anni 1698., & 1711. Quippè cum illa superuenerint sine legitimo Contradictore, neque Regijs Ministris auditis, vel saltem ob oculos Eminentissimorum PP. expositæ non fuerunt rationes, quibus hodie demonstratur præclarum Ius Regiæ Coronæ competens, unde

dè quemadmodum resolutiones prædictæ, quæ emanarunt non au-
 dito, nec vocato Regis Defensore obesse non possunt, *Argument.*
Text. in cap. Sicut tuis notat *Paris. cons. 135. num. 22., & sequen. lib. 3.*
Rot. apud Marches. de commis. part. 2. fol. 153., & in recent. dec. 466.
num. 47., & decis. 648. num. 8. part. 19. rec., ità ex huc vsque de-
 ductis rationibus speramus Eminentissimos PP. peremptorio De-
 creto silentium esse imposituros Canonicis, vt indè sublata quæstio-
 num occasione in Sede Episcopali Varmiensi diuturnior tranquillitas
 conferuetur.

Quarè &c.

Joseph Modius Sac. Palatii Apostolici
 Causarum Patronus.

SACRA
CONGREGATIONE
CONSISTORIALI

Varmien.

P R O

Observantia Concordatorum inter Se-
renissimos Poloniae Reges, & Eccle-
siam Varmien. &c.

Supèr
Electione Episcopi .



Memoriale.


✠ Typis Zinghi, & Monaldi 1724. ✠